DE FORMARUM ORIGINE.

GVILIELMI PEMBELI, Angli, Oxonienſis, TRACTATVS.

Editio Poſthuma.

LONDINI,
Excudebat T. COTES ſumptibus I. BARTLET, ſub ſigno deaurati Calicis in Cheapſide. 1635.

DE

FORMARUM ORIGINE.

GVILIELMI TEMPLI,

TRACTATVS.

ORNATISSIMO viro Domino Doctori FREWEN Collegij Magdalenensis Præsidi, & Academiæ Oxoniensis Vice-Cancellario, *Richard Capel.* S. D.

Vm Natura ita sit nobis comparata omnibus (Vir ornatissime) ut, quæ Dogmata à receptiori Scholæ sententiâ aliena sunt, magno cum supercilio fastidire soleamus: ego quidem non possum non vereri, ne lucubratio hæc in quorundam reprehensiones, vel eo nomine incursura sit; Quòd in ea quædam in controversiam fortè veniant; & novitatem apud nostros philosophos olere videantur. Et certè in locis Theologicis quid detrimenti capiat, vel pax, vel veritas Christi id sobriè cavendum homini Christiano; & à novarum opinionum pruritu prorsus abstinendum puto. Vsque adeò, ut ad certam regulam etiam loqui debeamus. Quod piè & prudenter monet [a] *Augustinus, ne* [*verborum licentia impiam gignat opinionem.*] *At in pulvere Scholastico, ubi in nullius verba juramus, & in utramvis partem, sine dispendio vel pacis, vel salutis ire liceat, major conceditur, cùm sentiendi, tum loquendi libertas. Nec tam authorum nomina; quam rationum momenta sunt spectanda. Quod non eò dico, quasi non plurimum esset in antiquis Philosophis: Hoc solum vellem; ne novitas veritati sit fraudi. Veritas enim non est pro novo deserenda. Quinetiam novitas veritatem commendat, & animus noster novæ opinionis admiratione integratur. Et quæ hodie vetera sunt, olim fuêre nova. Præclarè* [b] *Horatius,*

Quod si tam Graijs novitas invisa fuisset
Quam nobis, quid nunc esset vetus? aut quid haberet
Quod legeret, tersum que, viritim publicus usus?

Et meo quidem calculo, vitium vel maximum est in Philosophando, vetustatis gratiâ, ea defendere, quæ probamus minùs. Illud Pythagoræorum [*ipse dixit*] *procul abijs esse vult magnus dicendi Magister Marcus* [c] *Cicero,* [*De literis bene mereri cupientibus obest plurimum, uti &, ijs qui discere aut docere volunt; id ratum habere, quod à veteribus Philosophis judicatum acceperunt. Desinunt enim suum (inquit ille) judicium adhibere*] *Nôsti Tu, quanto cum conatu, & argumentis quàm magnis*

[a] De civit. Dei. l. 10. c. 23.

[b] Epist l. 2. ep. 2.

[c] De nat. Deor. l. 2.

nis ipse[d] Aristoteles omnium antiquorum; immo, ipsius adeo Platonis animum, de Animæ naturâ & origine impugnârit. Neque á quoquam, quod sciam, hoc ei culpæ datur. Quin potius nos omnes magni facimus aureum illud[e] Aristotelis apophthegma [Amicus Socrates; amicus Plato: sed magis amica veritas.] Neque unquam tot & tanta ornamenta, & adjumenta Philosophiæ subministrasset tantus Author, si destinatis veterum sententiis (quæ jam olim quandam quasi vim veritatis, authoritate solâ, & ætate obtinuissent) sese addixisset. Sic est noster author ut apud quem plus valeat ratio; quam Aristotelis autoritas. Idque ex Aristotelis ipsius exemplo, & præcepto, jure in ipsum fecisse putemus; quòd, sicut solent summa ingenia, non solùm studiosè elucidet aliorum opiniones: sed & ipse quoque aliquid novi proferat.

Accedat eodem summa rei de qua agitur difficultas. Nullus scilicet in totâ Philosophiâ cognitu difficilior locus est: quam de Formâ usq; adeo, ut[f] Scaliger (quo non aliter acutus magis) omnem nostram in Philosophiâ scientiam, propter Formarum [cognitionem rudem, confusam] nihil aliud esse velit quam [umbram in sole] Quocirca cùm in commentationibus abstrusis, in contrarias partes disputare soleant viri eruditi; & tandem post multos sudores, præclarè secum agi putent, si verisimile quod sit, id invenerint: minus mirum est, authorem nostrum, in difficilimâ eâ Diatribæ parte, quæ est de Formis Brutorum; à vulgari hodiernorum Philosophorum mente recessisse. Laudem certè magis quam veniam meretur. Ego non tantum mihi assumam, ut in utramvis partem quicquam efferam. Rem in medio relinquo. Nihil detractum velim ijs, qui aliter, atque hic author noster sentient. Sed nolo Epistolam ultra quam satis est producere. Hoc qualecunque, & quantulumcunque memoris mei, in Te, animi pignus sub Nominis Tui auspiciis, ad usum studiosæ Iuventutis in lucem emitto. Tu, quæ Tua est Humanitas, aqui, bonique consulas. Vale.

d De anima lib. 1.

e Eth. l. 1:

f Exercit. 101 dist. 14. & exercit. 307. dist. 12.

INDEX

INDEX EORVM QVÆ TRACTANTVR in LIBRO.

DE Origine Formæ pag. 7
Tria Principia rerum ibid.
Privatio quale principium ibid
Distinctio principii pag. 8
Pugna contrariarum qualitatum est transmutationum principium effectivum. p.9
Formæ definitio ibid
Formæ divisio ibid
Differentia inter formam & materiam ibid
Formæ corporis naturalis divisionis p. 10
Forma non est substantia materialis & corporea, rationes ibid
Forma non est substantia immaterialis, rationes p. 11
Forma non oritur ex essentia materiæ ibid
Forma non oritur ex accidentibus materiæ ibid
Forma non fit ex nihilo p.12
Forma non est substantia, argumentum à formarum corruptione p.13
Vtrum forma sit accidens p.14
Identitas & similitudo formæ & accidentis ibid
Refutatio argumentorum quæ adduci possunt ad stabiliendam necessitatem formæ substantialis p.14. ad. 18
Agit de brevibus Aphorismis p.18,19,20
Animæ vegetativæ in plantis & sensitivæ in brutis sunt tantum temperamentum, rationes p.20,21,22
De animæ rationalis origine ibid
An anima sit à Parentibus p.22
Dubia solvenda, si anima sit vel per multiplicationem, vel divisionem, vel generationem p.22,23
Animæ rationalis origo non ex semine parentum p.23
Argumentum primum ibid
Argumentum secundum ibid
Argumentum ab authoritate divina 24
Eccles. 12. 7. ibid
Heb. 12. 9. 25
Zach. 12. 1. ibid
Esai. 57. 16. ibid
Ezek. 37. 5. ibid
Exod. 21. 22. ibid

DE FORMARVM ORIGINE.

Exatiſſima eſt illa inter Phyſicos Quæſtio, de Formarum Origine, quo modo, quo principio oriantur & materiæ adſocientur. Quæ quantum & docentium & diſcentium ingenia exercuerit, teſtatum faciunt tot doctorum hac de re commentationes atque poſt tam claras, ut videbatur, huic veritati prælatas faces luminaq; admota, ſumma animorum caligo & inſcitia, quâ adhuc cingimur. Hæremus in cortice, & in natura veſtitum externumque accidentium ornatum novimus & miramur, at corpus ipſum & intimam eſſentiæ medullam quærimus & ignoramus. Vel potius, annon in ſcirpo nodum? illud anxia indagine veſtigantes, quod niſi in Philoſophorum cerebris libriſque, in Natura eſt nuſquam. Ita planè eſt, cæcutientes nimium acutè cernimus, atque illud ſcire ſatagimus, quod nec eſſe natura agnoſcit. Intelligo illud Phyſicorum de rerum Formis placitum; quod etſi antiquitate & omnium præjudicio ſatis confirmatum videatur, tamen, cum potius ut Poſtulatum quàm ut Demonſtratum ab Ariſtotele primo inventore, ejuſque Sectatoribus ſumatur, non erit immodeſti, ſed φιλαλήθους, illud penitius introſpexiſſe, atque examinaſſe, quid firmitatis habeat hoc fundamentum, cui tot in omni Philoſophia dogmata innituntur. Atque hoc ſanè neceſſarium eſt Animarum Ortum diſquirenti, prius de omnium Formarum origine diſſerere, earumque Naturam perſpectam habere, cujus ſi vel ignari vel falſo gnari ſumus, offundentur tenebræ, & error ſe reliquæ diſputationi ingeret. Itaque, quid Forma, cujus Entitatis & Originis, primò in genere videamus, deinde ad Animas deſcendendi locus erit.

Ariſtoteles, rejectis aliorum ante ſe placitis, tria rerum communia principia ſtatuenda eſſe docuit, Conſtitutionis duo Materiam & Formam, Tranſmutationis unum, Privationem: quam triadem poſteritas venerata eſt, & ferè ἀβασανίστως retinuit. Merito autem erroris ſuſpecta eſt hæc doctrina, & à multis contrà itum: qui Privatione ſede, quam occupârat, detruſam, binarium tantum principiorum numerũ agnoverunt. Quàm hoc juſta fecerunt lege, ſufficiet uno aut altero exemplo demonſtraſſe. Privatio eſt principium tranſmutationis, inquit Ariſt. At quale principium? Intueamur exemplum, & naturam non notiones ſectemur. Aqua mutatur in Aërem. Hujus mutationis principium eſt Privatio, vel quatenus eſt Abſentia formæ aeris in aqua, vel quatenus eſt Aptitudo in materia aquæ ad recipiendam formam aeris? ex iſtis enim duabus partibus conflatur definitio privationis. Non priori reſpectu, nam Abſentia formæ (fatentibus

bus ipsis Aristotelicis) est merum non-ens, nihil habens positivi. Ipsum Abesse est non Esse, nec magis ens est mera Absentia formæ aeris ab Aqua, quàm absentia formæ aëris ab Auro, hoc est, purum putum Nihil. Quis autem sanus dicet, Non-ens esse principium transmutationis corporum naturalium? Non posteriori modo, quia 1. Sic Privatio non est Privatio; merus est & Rei & Vocabuli abusus vocare aptitudinem & capacitatem subjecti nomine Privationis: perindè ac si dicas, Carendi duæ sunt partes, Carere & Habere. Illa enim Aptitudo est Qualitas verè positiva, quæ habetur & possidetur à subjecto. Nempe vel una simplexq; qualitas ut Potentia passiva materiæ primæ per quam verè disponitur ad recipiendam formam quamcunque, vel mixta qualitatum congeries in corporibus, sive mixtis sive simplicibus, per quam ad unam formam magis quàm ad aliam disponuntur; ut in aqua Humiditas & Tenuitas faciunt eam capacem & aptam ad aeris formam magis quàm alterius corporis. At quis, vel unam, vel multarum qualitatum debitam mixturam, sine absurditate vocaverit Privationem? 2. Etsi revera ista Capacitas & Aptitudo requiratur ad omnem transmutationem ut Conditio necessaria in subjecto transmutando, (nec enim ex quolibet ligno fit Mercurius) non tamen rectè dicitur principium & causa transmutationis. Annon ideo res mutatur, quia mutari apta est & capax? minimè certè, neque in artificialibus, neque in naturalibus. Sed hìc decurritur ad solennem distinctionem duplicis principii, 1. Effectivi virtute sua agentis, & 2. Occasionalis ansam quasi præbentis; & hujus posterioris farinæ est Privatio. Qua distinctione parum consulitur huic causæ, ut ex his palam fiet,

1. Non ferendum est hoc Aristotelis παράδοξον, qui fundamenta totius Philosophiæ jaciens, & principia tum constitutæ tum transmutatæ naturæ accuratè investigans, neglexerit Causam efficientem in qua virtus transmutativa corporum latet, atque ejus loco Occasionem tantùm prehenderit, cujus nulla est ex se efficacia, non ἀρχὴ sed ἀφορμὴ dicenda fuerit privatio.

2. Nec occasio quidem est, quod ad primam privationis partem, cui tamen hæc distinctio solet applicari. Sive enim Aquam integrâ adhuc sua Formâ, sive jam corruptâ spectemus, neutro modo absentia formæ est occasio mutationis. Non primo, nam Absentia formæ aeris in aqua adhuc manente integra, non magis Occasio dici potest mutandæ aquæ in aerem, quàm mutandæ illius in ignem aut terram. Istas enim Formas per-æque omnes etsi non habeat, tamen eis non caret: aliquid verò agendi moliendique occasio, non est Non-habere, sed Carere. Non secundò, nam absentia formæ aquæ in aqua corrupta, non est occasio cur introducatur forma aeris magis quàm formæ ignis: nec absentia formæ aeris in aquam introducibilis est occasio cur introducatur, nam & terræ quoque forma absens est, & introducibilis aliquandoque in aquâ corruptâ inducitur: nec denique absentia formæ simpliciter occasio est cur alia qualis qualis sit intromittatur: Illud enim figmentum est, ut sic ostendi potest. In transmutatione aquæ in aerem necessariò secundum doctrinam Perip. dandum est aliquod Instans in quo & non antè forma aquæ recedit: ut enim Generatio, sic Corruptio fit in Instanti, forma siquidem est indivisibilis & tota accedit, receditque in momento. Bene habet. Ante illud igitur instans in aqua non erat ulla Privatio. Iam verò cum avolat forma aquæ, advenit aeris forma vel in eodem instanti vel in diverso. Si in eodem, nulla potest intercedere Privatio, siquidem ante illud aqua non erat privata suâ forma, & in illo ipso instante admittit formam aeris. Itaque hoc pacto occidit privatio, sed oritur interim major difficultas, Quomodo in uno & eodem instanti eadem materia aquæ, possit habere duas formas specificas Aquæ & Aeris? cujus difficultatis nulla planè solutio dari potest stante Physicæ peripateticæ constitutione. Sin dicas hoc fieri diversis instantibus, intercedente aliquo privationis tempore: succutis hoc dicto Physiologiæ Arist. fundamenta, quæ volunt impossibile esse ut materia vel ad momentum informis existat. Quare cedat foro Privatio, nec amplius in

Naturæ

Naturæ triumvirîs accenſeatur: Aptitudo quidem & Capacitas illa materiæ ello aliquo modo Occaſio legum naturæ novandarum: Principium non eſt, Privatio non eſt. Hujus autem nothi loco ſubſtituatur γένιον illud omnium Tranſmutationum principium effectivum, ſcilicet, Pugna contrariarum Qualitatum: quarum adverſa dimicatio alternaque aut mutua victoria, & poſt eam concordi temperie, aſt diſproportionata διαφορὰ, fons eſt & radix, unde exiſtunt omnes, quæcunque in natura naturaliter fiunt, generationes corruptioneſque. Hoc clarius demonſtrabitur in ſequentibus, dum ſecundum Peripateticorum Principium diligentiori examini ſubiicimus. Hoc

g Forma eſt; cujus notitia quantam Mortalium mentibus creavit moleſtiam & triſtitiam, imo ſcientiæ deſperationem, inde conjectura capi poteſt, quòd, cum Scientia nulla ſit niſi per demonſtrationem, hæc autem nulla, niſi ex Causâ proximâ, cauſa verò hæc ignoretur ſi forma ſit incognita, omniumque formarum ne una quidem cognoſcatur (omnibus fatentibus) exceptâ illâ Hominis, omnis nobis ſpes præcluditur, quidvis in qualibet alia re perfectè intelligendi. Apage autem iſtud ingeniorum tormentum! Dabimus operam hujus νυγμὸν fidiculas incidere: atque in re obſcuriſſima operoſiſſimiſque nodis perplexa, auxilii, quantum poſſumus afferre. Hoc autem ſecando potius fiet quàm ſolvendo; cum præſtet demoliri quàm mox ruiturum opus rencere. Duo ſunt conſtitutionis rerum principia, Materia & Forma. Materiam agnoſcimus, de Forma quærimus. Ea eſt (inquiunt Peripatetici) Principium activum quod cum materia conſtituit compoſitum ſubſtantiale. Habes eſſentiam, vide ejus proprietates & elogia. Eſt ſubſtantia, & quidem præcipua pars eſſentialis compoſiti; divinior & dignior natura quàm materia; compoſito dat Eſſe, Agere, Diſtingui, Nomen; eſt generabilis, & corruptibilis: educitur de ſinu ſive potentia materiæ; in ſenſus non incurrit; conſiſtit indiviſibili, nec augetur aut minuitur pro varia compoſiti quantitate; eſt immateriata & tamen materiæ neceſſitate ligata; cape quoque diviſionem: eſt forma alia Prima reliquas antecedens, communis omnium corporum naturalium quatenus ſunt naturalia, alia Secunda primam ſequens propria particularium corporum ſecundum diverſas ſpecies. Hæc ſunt breviter quæ Phyſici de forma tradunt, pauca ea quidem, at tamen eiuſmodi, quæ cum inter ſe tum fundamentis naturalis ſcientiæ ab Ariſt. poſitis parum conſentiunt. Illud primo ſcrupulum iniicit ſubleſta hìc agi fide, quod inter tot de Materia, altero principio, controverſias, libros, diſputationes ultro citroque ſcriptas habitaſque, parum aut nihil fere de formarum natura repertas in Phyſicorum commentariis. Aliquid in genere diſputatur in Communi phyſices parte, ubi è regione materiæ forma tractatur; at ſit ita leviter & perfunctoriè, ut agnoſcas eos umbram non veritatem petere, inter ipſas diſputantium manus avolantem & evaneſcentem. In reliqua Philoſophia donec ad hominem perventum erit, altum de ea ſilentium, exceptis quibuſdam de Cœli & Elementorum formis, otioſis ſpeculationibus. An hoc fit quod formæ natura & notitia magis in obſcuro ſit, quàm materiæ? Nequaquam ſane. Conferamus Paritatem utriuſque & Privilegia formæ. Forma in ſenſus non incurrit; neque Materia, utriuſque cognitio ab intellectu ſolo pendet, fatentibus Peripateticis, & docentibus Materiam non cognoſci niſi duplici inſtrumento, Probationis neceſſariæ à tranſmutationibus ſucceſſivis commune aliquod ſubjectum requirentibus, & Proportionis ab Arte-factis ex materia variè effigiata conſtantibus. Quare mirum eſt, eos, qui de materiæ Eſſentia Proprietatibuſque tam multa diſputârunt, & definierunt, noluiſſe Formæ naturam accuratius eiſdem uſus ſubſidiis inquirere. Nec erat cur hìc magis hebeſcerent oculi, ſi digniorem & clariorem formæ naturam ſpectemus. Quid enim? Materia eſt perfectibilis, Forma perfectio: illa, potentia, nuda, pura paſſiva potentia (ſic aiunt) at forma eſt Actus Materia debilis entitatis & pœnè aciem intellectus fugientis, at forma divinum quid ipſam eſſentiam dans nedum habens; Materiæ propria, potentia patiendi & recipiendi quidvis, & Quantitas indeterminata, at

actio

actio nulla: Formæ: autem mille Actionum Qualitatumq; differentiæ, quæ ſenſum intellectumque non leviter perſtringunt. Quid igiter cauſæ eſſet quod tot præſentibus auxilijs tantillum in Formarum cognitione profectum ſit, in materiæ tantum? His illud adde, quòd qui de Angelorum eſſentia ſumma ſubtilitate & audacia pronunciârunt, quorum eſſentia ægrùs à nobis percipitur, illi formarum diſquiſitionem penitus fere neglexerunt. Verum ne ſuſpicioni huic juſtæ, nimium dediſſe videamur. Accedamus, ad rationes: quibus adverſum receptam formæ Doctrinam ſic argumentari poſſumus.

Forma Corporis naturalis, eſt vel Subſtantia vel Accidens. Si ſubſtantia ſit, erit vel Materialis & Corporea, vel Immaterialis & Spiritualis. Hæ diviſiones ſunt immediatæ, & ex terminis oppoſitis toto genere differentibus conſtant. Ita ut ineptè diverticulum quæratur in diſtinctione Subſtantiæ in Perfectã & Imperfectam, aut in gradibus quibuſdam intermedijs inter Subſtantiam & Accidens, inter Materiam & Spiritum: quos neque Natura nec Philoſophia peripatetica ullo modo admittit. Puritas enim puriſſima materiæ non eximit eam e gradu rerum materialium, nec ſpeciem variat. Illa entitas media inter ſubſtantiam, & accidens ne concipi quidem poteſt, & certe novum requiret Prædicamentum. Nec illud de Perfectione & Imperfectione Subſtantiæ formam magis è diviſione Prædicamenti exterminat, quàm Materiam, quâ imperfectius nihil. Sunt itaque ſecundum Philoſophiam peripateticam, & naturam quidem ipſam, diſtributiones illæ irrefragabiles: ex quibus ſic procedo: Forma nec eſt Subſtantia materialis, nec immaterialis: ergo ne omnino quidem Subſtantia eſt. Probatio inſtituetur per partes.

I. Forma non eſt Subſtantia materialis & corporea: oſtendo his rationibus:

1. Quod materiam corpuſque informat, illud non eſt materiale & corporeũ. Atqui formæ officiũ eſt informare, &c. Ergo &c. Vis hujus argumẽti in eo cõſiſtit, ut intelligatur quid ſit, informare; hoc autem eſt, Omnes materiæ partes ita permeare, atq; omnibus vel minimis ita ſe immiſcere, ut unicuiq; eſſentiã & vires ſpeciei convenientes tribuat. Dico impoſſibile eſſe, ut Subſtantia aliqua materialis à materiâ corporũ diſtincta, materiã illorum per minimas ſui particulas ita pervadat. Contradicit hoc naturæ, quæ vetat omnem Penetrationem dimenſionum, hìc neceſſariò concedendam, ſi materia materiam permeet, cum omnis materiæ, cujuſcumq; demum ſubtilitatis ſit, quantitas ſemper ſit accidens inſeparabile.

2. Omne materiale & corporeum eſt per ſe Quantum & Diviſibile. Atqui Forma non eſt Quanta per ſe & Diviſibilis. Ergo &c. Major manifeſta eſt ex diſcrimine inter Corpus & Spiritum. Minor eſt ex omnium Philoſophorum placito, qui ſtatuunt formas quantitatis eſſe expertes, & in indiviſibili conſiſtere. Quàm verum ſit illud dogma non opus eſt nunc exquirere, ſufficit hoc loco has contrarias ſententias inter ſe commiſiſſe.

3. Nihil generabile & corruptibile eſt materiale & corporeum. At omnis forma (humanâ excepta) eſt generablis & corruptibilis. Ergo nulla forma &c. Veritas majoris propoſitionis clariſſima eſt tum ex communi Ariſtotelicorum ſententia, aſſerentium materiam nullo modo generari aut corrumpi poſſe, ſed ortus & interitus immunem perſiſtere in perpetuum, tum etiam Experientia. Fieri enim non poteſt in tranſmutationibus ut vel minimus materiæ pulviſculus corrumpatur in nihilum, aut generetur ex materia non præexiſtente. Quicquid in rebus eſt materiale (intelligo Eſſentiam non Inhærentiam, nam ſic accidentia ſunt materialia) illud ſicut divina ſolum virtute è nihilo extitit, ita nulla naturali vi in nihilum redigitur. At, quod minor ait, formæ quotidiè corrumpuntur & annihilantur, atque de novo generantur idque virtute naturalium agentium. Affirmant hoc omnes, atque ipſa etiam tranſmutationis veritas. Nihil ergo in formis materiale eſt.

4. Evertitur hoc pacto illud principiorum axioma ab Ariſtotele poſitum, ſcilicet,

ſcilicet, Principia debere eſſe contraria, quia quidquid fit fieri ex contrarijs neceſſe eſt. Vbi per Contrarietatem non intelligit illam propriè dictam (alibi enim dicit Subſtantiam Subſtantiæ non contrariari) ſed talem diverſitatem & diſtinctionem, per quã principia corporũ conſtitutiva ita differunt, ut eſſentiã proprijſq; ijſdem non communicent. Nam ex uniformi, aut duobus Vniformibus ſubſtantijs, nihil niſi Vniforme generatur. Atqui ſi forma quoq; ſit materialis, materia & forma non tantum non contraria, ſed ne diverſa dici poſſunt: eadem ſiquidem erit utriuſque Eſſentia gradibus tantum majoris aut minoris puritatis & ſubtiliatis diſtincta: qui plane non ſufficiunt ad tollendam uniformitatem.

5. Tollitur quoque hoc modo illud Formarum privilegium, quòd ſit Fons & Origo omnium actionum: Cum enim operationes ſint à forma, formæ autem eſſentia ſit materialis, neceſſariò ſequitur materiam quoque eſſe activam & actionum principium. Erit ſiquidem forma, Materia quædam actuoſa vigoris & virtutis plena, per quem potens eſt materiam corporis torpidam & ignavam actuare & excitare. At unde iſta virtus? neceſſe eſt ut ſit immediate ab ipſa formæ materia: nam ſi ab alio oriatur, jam forma non erit principium, quo datur aliquid prius. Sicut enim materia prima ex ſe habet quantitatem, ſic & forma vires ex ſe ortas non ab alio mutuatas poſſidet. Atque hoc plane repugnat omnium Peripateticorum conſenſui, qui docent à materia quæcunque demum ſit, meram oriri Paſſionem, eamq; eſſe omnis poſſibilitatis radicem.

II. Quod forma non ſit Subſtantia Immaterialis & Spiritualis evincitur firmiſſimis rationibus.

1. *A Formarum Generatione.* Qua in rẽ ridiculum planè eſt quàm miſerè ſe alioſque torſerint Philoſophi. Summa omnium in hoc negotio ſpeculationũ huc redit, Formas non Induci, ſed educi è materia. Nimium enim abſurdum viſum eſt dicere formam auri, lapidis, plantæ &c. primo extra materiam factam eſſe ab externo agente, deinde veluti vehiculo in materiam importari. Spinoſis abſurdis horret hæc opinio, Poſſe formas rerum ſeparatas exiſtere, plus conferre agens externum quàm ſemen in generatione &c. Quare in eo fixus eſt baculus, formas omnes (humanam excipe) è materia educi. Verùm hic admodum ſudatur in explicando hujus eductionis modo, nec adhuc certi quicquam ſtatuitur. Nos breviter omnia comprehendentes ſic argumentamur. Si forma educatur ex materia, fiet hoc vel ex Aliquo in Materia præexiſtente vel ex Nihilo. Si prius, erit illud Aliquid vel ipſa Materiæ Eſſentia, vel Accidentia quædam illius. Per partes agamus.

1. Forma non oritur ex Eſſentia materiæ: contradicunt hæ rationes.

1. Quicquid ex materiæ Eſſentia oritur, illud neceſſariò eſt materiale, ut quicquid ex aere nudo fit, eſt aereum. At forma non eſt materialis, ut patet ex ſupradictis. Ergo &c. Vel ſi forma ſit immaterialis, impoſſibile eſt ut fiat ex Eſſentia materiæ: fundamentum ſiquidem ponitur in Philoſophia, Immateriale ex Materiali per agentia materialia (ut ſunt ea quæ formas educunt) generari non poteſt. Illa enim materia, ex qua conſtituitur forma, ad quamcunq; demum puritatis, claritatis & tenuitatis gradum velut in alembico alevetur, materia tamen eſt, & remanet.

2. Funditus ſubruitur illa altera principiorum lex ab Ariſtotele, & ſectarijs lata, Principia ne fiant ex ſe mutuò. Atqui fient, ſi ex materiæ ſubſtantia confletur forma.

2. Forma non oritur ex Accidentibus materiæ; confirmant hæc argumenta, contra opinionem eorum omnium qui dicunt, formas educi de Potentia, de Sinu, de Gremio materiæ. Vbi intelligunt, credo his terminis, Accidentia & Qualitates quaſdam materiæ. At non hinc formis origo eſt: nam

1. Sub-

1. Substantia fiet ex Accidentibus, forma substantialis ex accidentalibus materiæ proprietatibus. Quod absurdum quam dissonet, peripateticarum aurium esto judicium. Aut si ex Accidente nihil generetur nisi Accidens (quod verum est) forma erit Accidens utpote ex Accidentibus facta: at hoc quoque Peripatet. monstrum est.

2. Forma non erit primum principium corporis naturalis: siquidem ex priore facta est, viz. Accidentibus materiæ, quæ potius quam forma principii loco habenda sunt. Hac quoque ratione evertitur altera principiorum lex, Principia ne fiant ex aliis: at forma fiet ex accidentibus.

3. Particulariùs quæratur, quænam sint hæc accidentia materiæ, quæ Gremii Sinusq; nomine vocantur; certè tria sunt aut nulla, 1. Potentia passiva, 2. Quantitas indeterminata, 3. aut Præviæ dispositiones. Quod ad duo priora, risu dignus est si quis dicat, Formas oriri & fieri, aut ex Potentia passiva sive aptitudine & capacitate materiæ ad formas recipiendas, aut ex interminata illius quantitate. Mera sunt ista deliria. Ergo fortè ex præviis dispositionibus fit. Hoc verisimilius dicitur, sed hic cautè advertendum est, nos hactenus non de Existentia, sed de Substantia formarum quærere, non quo Agente in materia existant, sed ex qua Essentia & Substantia sint & constituantur. Itaque etsi fortassis præviæ dispositiones & qualitates in materia secunda præparata, ut in materia auri, lapidis, seminis concurrant per modum Agentis ad productionem formæ auri &c. non tamen possunt concurrere per modum constituentis ad condendam illius substantiam & essentiam. Siquidem præviæ dispositiones sunt tantùm Accidentia; at forma, secundum Peripateticos, est Substantia & quidem Immaterialis, quæ ex accidentibus tanquam materiâ constitui nequit. Aut si constituatur, erit quidem forma Immaterialis, sed immateriale accidens, non immaterialis & incorporea substantia. Hæc de priori parte, viz. Formam non fieri ex aliquo præexistente in materia: sequitur membrum posterius.

3. Forma non fit ex nihilo. Ita enim formæ in materia productio non esset Generatio, sed Creatio: quod sine maxima absurditate concedi non potest. Tolleretur enim discrimen inter animam rationalem & cæteras formas, quarum etiam vilissimæ opus haberent ad existentiam creatione essentiæ. Daretur immediatus & supernaturalis Dei concursus ad omnem generationem, creando & infundendo formam, aut tribuenda esset naturalibus agentibus. Vis creandi substantiam ex nihilo, quæ solius Dei propria est. Præcipuè in substantiis immaterialibus (ut formis) quarum essentia materialibus longe dignior est. Atque hoc in loco Philosophis aqua planè hæret, Interrogatis sive de inanimatis sive de animatis formis, Sintne actu in materia è quâ educuntur? ut forma auri in materia ex qua generatur, forma pulli in ovo. Hic æstuant, & sudant. Insunt & non insunt. Existunt & non existunt. Insunt, sed non actu: nam sic ajunt, nihil de novo generaretur, cum forma actu & materia actu existat. Neque plane non insunt, nam sic crearentur. Ergo insunt potentiâ. Contradictio, insunt, *i. e.* possunt inesse. Insunt in suis Causis: & hoc ἀπροσδιόνυσον: insunt, *i. e.* causæ insunt per quas possunt aliquando inesse. Rursus, insunt habitualiter non actualiter, ut scientia in Geometra dormiente. Inepta distincto, quatenus huic negotio applicatur. Habitualis enim rei inexistentia actuali non opponitur; scientia enim in Geometra dormiente Actu in est, etsi non quoad Actus & Exercitia: Num & formæ sic? Substantia earum & Actus primi actu insunt in materia, sed operationes & secundi actus impediuntur & dormitant. Nec hoc volunt, quia absurdum est dicere, Formam auri esse actu in materia ex qua generabitur aurum: sic esset aurum antequam est; aut formam aeris esse actu in aqua transmutanda, antequam actu transmuretur in aerem; aut formam animalis actu esse in semine,

ſemine, nec tamen ſemen poſſe dici animalium. Omnia hæc ſunt ἀσύστατα, ut & tota iſta Philoſophorum contemplatio de Formarum ſubſtantialium & materialium è materia Eductione. His accedunt aliæ rationes.

4. Repugnat communi ſenſui & ſano intellectui hæc formarum immaterialitas. Quis enim ſobrius dixerit eſſe in lapide, in auro Subſtantiam aliquam ſpiritualem à materiâ diſtinctam. Spiritus lapidis. Spiritus Auri. Portenta in Philoſophia, niſi Chymico ſenſu capiantur: at Spiritus hominis rectè.

5. Omnis ſubſtantia diviſibilis eſt materialis & corporea. Forma eſt ſubſtantia diviſibilis: ergo non eſt ſpiritualis & incorporea. Major eſt ex ipſius Naturæ dictamine. Diviſio enim ſequitur Quantitatem, & Quantitas eſt indiuiſa materiæ comes. Minor manifeſta eſt in diviſione omnium totorum Homogeneorum, ut auri &c. nec non Heterogeneorum quorundam, ut in avulſo ab arbore ramuſculo ex ſe recreſcente, &c. Quod ſi obiiciatur aliquid etiam non corporeum dividi poſſe, ut albedinem in charta, omniaque accidentia ejuſmodi, quæ tamen Quantitate & Materia carent. Reſpondemus, longè maximum diſcrimen eſſe inter Spiritus, immaterialeſque ſubſtantias, & accidentia immaterialia, illarum enim Eſſentia conſiſtit in indiviſibili, tam neceſſario nexu inter ſe colligata, ut recedente parte tota pereat (ſi Metaphyſicis credamus) at non ſic Accidentium. Stet itaque immota hæc reciprocatio: Omnis Subſtantia Spiritualis eſt Indiviſibilis, &, Omnis Subſtantia Indiviſibilis eſt Spiritualis, quicquid ἀντίφρασις obſtrepunt Conimbricenſ. 2. de An. Cap. 11. Quæſt. 8. Art. 3. Atque è contrà de Subſtantia Materiali. Cujus argumenti tanta vis eſt, ut formas è claſſe ſubſtantiarum, in Ordinem Qualitatum videatur poſſe cogere.

Perſequamur reliqua argumenta.

2. *A Formarum Corruptione*, quâ omnes quotquot præter animam rationalem, ſunt, damnantur. Vide ſic arguitur.

1. Nulla ſubſtantia immaterialis eſt corruptibilis, Omnes formæ ſunt corruptibiles. Ergo nullæ formæ ſunt immateriales. Majoris (intellige eam modo naturali) probatio eſt invicta ex ipſo Peripato petita. Omne agens & patiens naturale debent convenire in genere, *i.e.* in materia inquit Ariſtoteles. Inter ea igitur quæ differunt materia nulla eſt Phyſica actio aut paſſio. Atqui materiale & ſpirituale ſic differunt, ergo illud in hoc agere, hoc ab illo pati non poteſt. Fieri itaque non poteſt ut aliquod agens naturale & corporeum, formas rerum immateriales agendo corrumpat, totaſque penitus aboleat, & in nihilum reducat virtute aliqua naturali. Eadem virtutis eſt ſubſtantiam è nihilo creare & in nihilum redigere. Quare in omni corruptione aut concedendus eſt extraordinarius & ſupernaturalis Dei actus in abolitione formæ etiam muſcæ unius miſerculæ; aut affirmandum, ordinaria agentia naturalia habere vim agendi in formas eaſque annihilandi; quo dato, neſcio quî liceat Pontificiorum nænias de igne Gehennali & Purgatorio animas urente, de ſuffumigationibus diabolum abigentibus, aliaſque ineptias commodè refutare.

2. Cum omnis ſubſtantia immaterialis ſit excellentior materiali: In genere formarum res contrario planè modo ſe habebit. Igniobilis enim & ignava materia firmiorem ſtabilioremque eſſentiam habebit, quam vel præſtantiſſima bruti anima. Materia pulicis nulla arte, nulla mutationum viciſſitudine poteſt annihilari: at vel nobiliſſima Leonis anima uno lictu occidit, & in nihilum abit. Magnum hoc & notabile diſcrimen non levem mihi ſemper excitavit ſuſpicionem, Formas non inter ſubſtantias, ſed accidentia numerandas eſſe, quæ ut videmus, ortui & interitui in ſingula momenta ſunt obnoxia.

Hactenus de primo diviſionis membro: Quod forma non ſit Subſtantia, cui & alia addi poſſent ſi ſingulis immorandi otium eſſet. Propero ad ſecun-

dum membrum vbi disquirendum restat, utrum Forma accidens sit, necne. Sententia negativa à Physicis mordicùs defenditur; nobis autem affirmativa etsi παράδοξος verisimilior tamen videtur: quam ut superioribus rationibus coacti necessariò tenendam suscepimus, ita sequentibus argumentis atque argumentorum, quæ obiici possunt, solutionibus claram facere conabimur. Esto itaque conclusio probanda.

Omnis forma corporis naturalis, (animâ rationali exceptâ) est accidens aut accidentium multorum mixtura, temperamentum vulgò dictum, & prætera nihil. Hujus conclusionis veritas patet.

1. Ex remotione membri alterius immediatè oppositi in prima divisione. Evictum enim est allatis argumentis formam nec materialem nec immaterialem Substantiam esse, relinquitur ergo ut sit Accidens.

2. Ex perpetua analogia inter Formas illas & Accidentia, quæ tanta est, ut errore aliquo veterum factum sit, quòd eorum naturæ Eædem, in similes divisæ sint. Ecce paralleliſmum.

1. Accidentia generantur & corrumpuntur, de novo oriuntur & in nihilum abeunt, ut ratio & experientia dictant. Eadem quoque est formarum lex, in horas nascentium, & evanescentium.

2. Accidentia diffunduntur per totum subjectum, & minimas materiæ particulas penetrant, atque pro ratione subjecti quanti & divisi, ipsa quoq; quantitatem & divisionem sortiuntur. Non ovum ovo similius, quàm hâc in re Formæ accidentibus, diffusæ & divisæ per materiam.

3. Accidentia dependent à materia in Esse & in Fieri, ita ut extra subjectum ne ad momentum quidem temporis subsistere possunt. Annon & Formarum eadem conditio, quæ cum sint immateriales (ut & Accidentia) ita tamen cum materia quoad & Essentiam & Existentiam στέρας ἀνάγκης nexu vinciuntur, ut extra eam planè Nihil sint. Atque, ut Accidentia quoque, non migrant de subjecto in subjectum. Ex quibus clarum est non esse tantum formæ & accidentis similitudinem, sed etiam identitatem.

3. Ex refutatione argumentorum quæ in contrariam sententiam adduci possunt, ad stabiliendam necessitatem formæ substantialis. Horum præcipua sunt,

1um. Omne compositum substantiale requirit materiam & formam substantialem, ex quibus componatur. Corpora naturalia sunt composita. Ergo habent materiam & formam substantialem.

Infirmitas hujus Argumenti eluceſcet ex falsitate majoris propositionis, quæ oritur ex malè intellectâ Compositionis natura. Cum enim duplex sit Compositio, 1. Ex Substantia & Accidentibus, 2. Ex Substantia & Substantia, falsò creditum est, Omne corpus naturale componi ex duabus substantiis genere diversis. Veritas breviter sic se habet. In Corporibus simplicibus Cœlo, viz. & Elementis est nuda tantum Compositio Substantiæ, Materiæ, scilicet, & Accidentium variorum diversis syzygiis in materia unitorum. In Corporibus mixtis, sive animatis sive inanimatis est Compositio, partim Substantiæ & Accidentium, partim diversarum Substantiarum. Diversarum, dico, non Essentiâ, sed Accidentalibus differentiis, ut sunt substantiæ quatuor Elementorum quorum materia una essentiâ, qualitatibus quadruplex concurrit in compositione corporum mixtorum. Denique, in homine solo est Compositio diversarum substantiarum genere differentium, viz. Corporis, Substantiæ materialis, & Spiritus substantiæ immaterialis. Itaque dicimus Corpora naturalia esse Composita, & quidem Substantialia ab una parte, scil. Materia, non utrâque. Forma quidem inest, sed Accidentalis illa, non Substantialis. Et revera, nulla dari potest ratio idonea, cur necessitas naturæ id exigat, ut, corpus nequeat constitui, sine concursu duarum Substantiarum essentialiter distinctarum. Sufficit planè unica materiæ

substantia

ſubſtantia variis diſtincta & ornata accidentibus, ut in Elementis.

2um. Quicquid Materiam actuat, ponit in Specie, Exiſtentiam eidem tribuit, illud eſt Subſtantia. Atqui forma facit iſta omnia. Ergo Forma eſt ſubſtantia.

Vitium hujus argumenti eſt in majore propoſitione, quæ ſententiæ eſt aut ambiguæ aut falſæ. Quid enim eſt Materiam actuare? quid ponere in Specie? quid Exiſtentiam dare? Illo actuandi termino neceſſariò intelligitur, vel Formam dare Materiæ eſſe Actuale, ut ſit actu ens & ſubſtantia, vel formam dare Materiæ eſſe Actuoſum, ut quæ ex ſe nuda torpet, efficacibus induatur qualitatibus. In priori ſenſu fallum eſt formam actuare materiam, cum enim materia ſit ſubſtantia, omniſque ſubſtantia ſit ens per ſe ſubſiſtens, utiq; materia per ſe, non per accidens, non per aliud, non per formam, ſuam actualem ſubſiſtentiam habebit Dico per Formam: cum formâ enim ſubſiſtit; aſt ita forma non magis actuat materiam, quàm hæc formam, quæ non ſubſiſtit niſi cum materia. Poſteriori ſenſu verum quidem eſt omnem Actuoſitatem & Efficaciam in ſubſtantia materiæ eſſe ab aliqua forma ſuperveniente; ſed manet tamē dubiū Quid illa forma ſit, &, An neceſſario omnis actio & agendi vis debeat immediatè à ſubſtantia aliqua profluere? de qua quæſtione in argumento alio dicendi locus erit. Atque hinc patet quid ſit ponere in ſpecie, & exiſtentiam dare, quo nihil aliud intelligitur, quàm quòd materia rerum omnium, quæ * ex ſe actu exiſtit ad omnem effigiem formamq; indifferens, variis veſtita Accidentibus & accidentium temperamentis exiſtat tali aut tali modo & ſpecie. Nec ſecus ac maſſa ceræ ex ſe exiſtens, poſtea in varias imagunculas efficta, exiſtit ſub hac aut illa ſpecie animalculi. Vbi, ut non opus eſt nova ſubſtantia ad novam & ſpecialem exiſtentiam, ſed tantum inductione novi accidentis (figuræ ſcilicet) ita in materia rerum naturalium communiter in mundo exiſtente non opus eſt niſi mutatis & copulatis Accidentibus ad dandam ſpecialem ſub hoc aut illo modo exiſtentiam.

* *Illud enim aliquorum ridiculum eſt, Materiam ex ſe actu non exiſtere: Quaſi daripoſſet aliqua ſubſtantia ex qua mundus fit & qua extra mundum non eſt, in mundo tamen actu non exiſtat. Sed fallit particula (ex ſe) in eam detorta ſenſum, ac ſi quod ex ſe, illud ſeparatum exiſteret. Hoc vero inceptum materia exiſtit coniuncta cum forma, ex ſe tamen non à forma habet exiſtentiam. Immo ſi verum dicere volumus, in genere rerum corporearum ſola Materia ex ſe exiſtit. Accidentia ſiquidem ex ſe neque Eſſentiam neque Exiſtentiam habent. Forma, ſecundum ipſos Peripateticos, dependent a materia & in Eſſe, & in Fieri, ſeu Exiſtere. Sola igitur materia ex ſe & eſt, & exiſtit, etſi non exiſtat ſola. Nec hic dicendum, ergo univerſale per ſe exiſtet; ſiquidem materia particularis eſt ſubſtantia in toto mundo una & unica.*

3um. A quo omnes in Materia operationes profluunt illud eſt Subſtantia. A forma proveniunt omnes operationes. Ergo Forma eſt Subſtantia.

Hic quoque in majore error eſt, inde, ut credo, ortus, quod Philoſophi, dum ex una parte Materiam per ſe torpeſcentem omnique deſtitutam vigore ſpectant, ex altera parte Accidentis naturam ut debiliorem levioremque deprimunt, putârunt aliam quandam Naturam excogitandam eſſe, Virtutis & Virium plenam, quæ Actionum omnium fons eſſet, atque hanc Formam nominant. At falluntur, neque opus erat recurrere ad formā aliquā ſubſtantialē ut ratio redderetur operationū quæ fiunt à corporibus naturalibus. Sufficiunt ad hoc Accidentia. Dico enim Accidentia immediatè & per ſe poſſe agere, & non in virtute alicujus formæ ſubſtantialis. Quod clarum fiet inductione omnium primarū qualitatum, è quarū temperie oriuntur ſecundæ. Lux diffundit ſe per perſpicua omnia & illuminat obſcura. In virtute cujus formæ? Num ſolis? Atqui & cæteræ ſtellæ lucent, quarum forma eſt à Sole diverſa ſecundum Peripateticos. Num in virtute formæ corporis luminoſi? Nugæ. Carbunculus, ignis, candela, ſol, omnia ſunt corpora luminoſa. An eadem horum omnium forma ſubſtantialis? Non dicent, opinor. Si dicant eſſe, quatenus ſunt luminoſa; velim etiam dicant, quid ſit illa forma corporis luminoſi quatenus eſt luminoſum. Annon Lux ipſa? Niſi forte dicent tot eſſe in corpore for-

mas ſubſtantiales quot reperiuntur accidentia, ſcilicet, Eſſe formam Corporis quatenus colorati, aliam quatenus ſapidi &c. Quod infaniæ proximum. Lux igitur in quocunque corpore ſit, ubique ſe propria virtute diffundit. Calor calorem generat, ac urit: Cujuſnam formæ efficaciâ? Num formæ ignis? atqui ut Aqua Solis ardore calefacta, calefacit, ſic Plumbum, lapis, aut aliud quodvis corpus ardori ſolis objectum. Inter cujus igniſque formam longum eſt intervallum. Ignis urit, ſic & ferrum, non candens modo ſed & nigreſcens. Num ambo urunt virtute ejuſdem formæ? Minimè. Alia ignis, alia ferri forma. At in ferro eſt ignis. Hem! Corpus in Corpore: at eſt in poris ferri. Scilicet, Denſatiſſimæ Chalybis, aut in compactiſſimi denſiſſimiq; auri lamina pori ſunt, per quos igneum corpus penetret ferrum aurumque, idque per minutiſſimas utriuſque partes, ſiquidem ne minima pars ferri calfacti eſt, quæ non urat. Oſcitanter philoſophantur qui poris iſtis ἀπείροις rem ſalvam eſſe judicant. Quid ergo? Calor ubicunque eſt, propria & inſita ſibi virtute ſe exerit calefaciendo & urendo, pro ratione gradus illius quem obtinet, & ſubjectæ rei in quam agit. Et, ut obiter id dicam, Ignis nihil aliud eſt quàm Calor intenſus in quocunque tandem corpore. Dico Intenſus, non Summus, infra enim ſummum gradum (quem neſcimus) ignis eſſe poteſt. Quia alius alio calidior eſt, in eadem quantitate. Immo & deſcendendo vix novimus infimum gradum caloris infra quem ignis nullus eſt, ſiquidem quod unjus rei reſpectu ignis urens eſt, id alterius vix eſt calor tepefaciens. Sed hæc ſubtilius perſequi non eſt hujus loci. Pergamus, Frigiditatis in terra, in aqua, in glacie, in aere hyberna, effectus ſunt iidem extinguendi caloris, condenſandi corpora &c. at formæ in ſingulis diverſæ ſunt. Quare à nullius forma dependet frigiditas in exercitio propriæ virtutis ſuæ. Siccitas Terræ & Ignis (ſecundum Peripateticos Sicci) ſimiliter arefacit aquam injectam: at formæ hic quoque differunt. Idem in humiditate aquæ & aeris. Denique Deſcenſus communis eſt aquæ & terræ, Aſcenſus aeris & ignis: ille à gravitate, hic à levitate ortus. In utroque genere principium motus erit immediatè in accidentibus Gravitatis & Levitatis, non autem in formis, quæ diverſæ ſunt in utroque Pari, Qualitate eâdem manente. Plura addi poſſunt, at hæc ſatis confirmant concluſionem, * viz. Operationes in Corpore naturali poſſe effici ab Accidentibus ſolis in materiam impreſſis ſine ope Formæ alicujus ſubſtantialis à qua Virtus eorum dependeat. Itaque & huic argumento nervi inciduntur.

4um. Quod eſſentialiter diſtinguit unam ſpeciem ab alia, illud eſt Subſtantia. Forma eſſentialiter diſtinguit. Ergo &c.

Solutio hujus argumenti facilis eſt; major propoſitio fallit, quæ vult omnem eſſentialem diſtinctionem fieri per aliquod ſubſtantiale. Nam etiam Accidentia diſtinguuntur inter ſe eſſentialiter, ut Virtus & Color. Sed & in ſubſtantiis res clara eſt. Eſſentialiter diſtinguuntur quæ differunt definitione. In definitione corporum naturalium duo ſunt, Genus *i. e.* Materia communis in qua omnia conveniunt. Differentia conſiſtens in Accidentibus materiam iſtam variantibus. Illud in definitione eſt ſubſtantiale, hoc Accidentale, ſed tale quod ſufficit ad eſſentialem diſtinctionem. Quid enim? cum dicunt Phyſici [Ignis eſt Corpus ſimplex] genus & materia, [calidiſſimum & leviſſimum] differentia ab accidentibus eſſentialibus, annon eſſentiale ſatis diſcrimen ponitur inter ignem & aquã, corpus frigidiſſimũ & graviſſimum? Etſi enim ſit ab accidentibus, non eſt tamen accidentale, ſed neceſſariũ, internum & eſſentiale. Quare dico, ut accidentia ſunt primò & per ſe cauſæ operationum ſic ſunt primò & per ſe cauſæ diſtinctionũ in ternarumin corporibus naturalibus; atque definitionem corporum naturaliũ eſſentialem ingrediuntur, ut

* *Et hoc ipſum eſt, quod poſt Zab. reliqui Phyſici fatentur Qualitates Elementorum eſſe eorum formas reſpectu miſtionis. Idem etiam quod Logici in definitione qualitatis, eſt forma accidentalis per quam ſubſtantia eſt efficax.*

ut non opus ſit ultra materiã, & accidentia quicquam præterea in corpore naturali anxiè quærere; quorum ſimplicem vim & mixturam ſi exactè haberemus perſpectam, neſcio an aliquid deeſſet ad plenam naturæ cognitionem. Sed hinc fundi noſtri calamitas, quòd Philoſophi, dum omnium in natura virium & operationum originem in forma neſcio qua, ſubſtantiali collocant, hujus autem formæ ſcientiam impoſſibilem eſſe fatentur ſenſu & experientia cogente, incurioſiùs ſe geſſerunt in contemplanda Accidentium natura, eorumq; viribus & varietatibus pulcherrimis indagandis, contenti ſcilicet, in quolibet corporis affectu effectuque paulo difficiliore, dixiſſe, Eſt á forma.

5um. Forma non ſuſcipit gradus, neque variatur. At accidentia eorumque temperatura poteſt variari & gradus ſuſcipere, Ergo Forma, non accidens, non temperamentum eſt. Major inde confirmatur, Quia rei definitio variari non poteſt, quæ tamen variatâ formâ neceſſariò mutatur.

Majorem planè negamus, & quanquam antiquo errore principii ferè loco habeatur, tamen & convelli & refelli poſſe non dubitamus: ejuſque etiam probationem reiicimus, affirmantes, ut Formas ſic & rerum definitiones conſiſtere intra aliquam Latitudinem, non, ut vulgò volunt, in puncto indiviſibili. Quod in omnibus corporibus tam ſimplicibus quàm mixtis, tum animatis tum inanimatis oſtendi poſſet. Exemplo ſit Elementorum & Tranſmutatio in ſe invicem, & mixtio in Corporibus ex eis oriundis, in utroque genere evincitur, illud quodcunque ſit quod formæ locum in elementis obtinet, neceſſario intenſionis & remiſſionis gradus admittere. Vide enim, Terræ gleba macerata in aqua antequam in eam mutetur varias & diuturnas requirit prædiſpoſitiones & præparationes, quibus omnibus peractis jam inſtat ipſum tranſmutationis inſtans. Quæritur hìc an forma terræ poſt tot præparationes maneat tamen integra & invariata uſque ad ipſiſſimum tranſmutationis momentum? Quis ſanæ mentis affirmaverit? cum ſublatis aut diminutis propriis accidentibus formæ integritas ſibi conſtare nequeat: Et, ſi in tranſmutatione mutua qualitatibus fractis formæ non frangantur, etiam tum cum eis pereundum ſit per tranſmutationem; cur in mixtione, ubi formæ manent, neceſſaria tamen eſſet refractio earum: quam tamen fieri omnes, veritate cogente, contendunt. Deinde in mixtione concurrunt quatuor Elementa, & manent in mixto. Sanè. Manent igitur Qualitates an Formæ? Vtræque. Si enim periiſſent, unde quæſo, ô bone, reviviſcerent in reſolutione Mixti? At manent integræ & in gradu intenſo? Minimè gentium. Ambæ contuſæ & probe confuſæ ad Symmetriam & proportionem harmonicam rediguntur: & formas quidem neceſſariò ſic retundi, aiunt, quia qualitates ab eis profluentes inminutas & debilitatas eſſe ſenſus ipſe teſtatur: At verò non forma remitti poteſt, num ſubſtantia ſuſcipiet magis & minus? Hic res in luto hæret. Nec quiſquam qui veritatem è puteo extrahat, præter Zabarellam repertus eſt. Is expedit audaciſſimæ diſtinctionis funiculo: Sic Subſtantia poteſt variari cum mutatione ſpeciei, ſed non ſine mutatione ſpeciei. Formæ Elementorum variantur primo, non altero modo. Nihil extra eſt in nuce durum, ſi quid aliud intra hujus diſtinctionis latibulum cernas, quàm caliginem & tenebras meras. Forma elementi in mixto remittitur cum variatione ſpeciei, *i.e.* exempli gratia, [Forma aquæ in mixto minus eſt forma aquæ quàm fuit extra mixtum, & tamen eſt forma aquæ, quia aqua cum ſua forma manet in mixto, & tamen aqua in mixto non manet nec aqua dicenda eſt, quia mutavit ſpeciem, *i.e.* eſſentiam ſuam, & in aliud corpus tranſivit.] Quis crudas hàſce contradictiones tulerit? Conſultius tamen putavit Zabarella in obſcuriſſimæ diſtinctiunculæ ſpecum ſe recipere, quàm videri velle principia ab antiquis poſita ad clariorem veritatis lucem examinare. Nobis hoc piaculum non eſt. Quare omiſſis jejunis iſtis ſpeculationibus,

culationibus, quæ intellectum veri cupidiſſimum miſerè ludi ficantur, aſſerimus, Formas elementorum recipere gradus, & intra latitudinem aliquam intendi poſſe & remitti, &, quia ſic variantur, nullo modo eſſe ſubſtantias, ſed meras qualitates earumque in debito gradu mixturam, ſupra vel infra quam proportionem elementa non ſunt. Fruſtrà itaque ſunt otioſæ illæ quæſtiones, De formis elementorum, De earum in mixto integritate, De generatione & corruptione inſtantanea, ſive de acceſſu & receſſu formæ ſubſtantialis in momento. Aqua non in inſtanti aut ſit aut deſinit eſſe Aqua. Sed in tempore per gradus perfectâ aut corruptâ qualitatum temperaturâ. Similiter in mixtis; in ligno, lapide, pomo, carne & putreſcentibus, ut corruptio procedit per gradus, ita terminatur in temperamento; quod ſi ultra ultimum proportionis gradum vitietur, ſequitur mixti diſſolutio, ſoluto unionis vinculo; & hoc, fatentibus Ariſtotelicis, non forma, ſed qualitatum mixtura eſt.

Atqui oggerunt, Variabuntur rerum definitiones, ſi varientur temperamenta: illæ autem ſunt conſtantes.

Pueriliter, & abſurdè. Nempe hinc error, Definitiones rerum condũntur, rebus ipſis in ſua perfectione conſideratis, inde mentis operatione abſtractæ habentur velut æternæ & conſtantis veritatis. At ſi res prout in natura non in intellectu ſunt, ſpectemus, annon variante Natura, variabitur naturæ definitio? Notionalis illa & abſtracta rei definitio manet etiam re non exiſtente, ut Roſæ in hyeme: at Realis aliqua applicatio fieri non poteſt Rebus aũt non omnino, aut aliter ſe habentibus. Quam abſurdum hoc eſt affirmare, flores flaccidos, roſam marceſcentem, pomum putreſcens, lignum ad cariem pronum, carnes fætidas aut animal ægritudine & δυσκρασίᾳ tabeſcens, æquè perfectè definiri, ac definiebantur in integritate ſua. Hi ſomnia ſua definiunt, qui res non prout in natura exiſtunt, deſcribunt, ſed pro ſuo ipſorũ conceptu & imaginatione. Nũquid mutatis qualitatibus mutabitur eſſentia, & tamẽ variatis non variabitur? Pervelim eos qui hoc aſſerunt tamdiu veſci carnibus olidis, donec agnoſcant aliam eſſe eſſentiam, aliam definitionem putridarum & integrarum carnium: aut tamdiu Valetudinarios eſſe, donec diſcant diſtinguere inter definitionem ſani & ægri corporis. Interim nobis certò conſtet, Quicquid eſt in Elementis mixtiſve Subſtantiale & Materiale, illud invariatum manere, quicquid Accidentale ſeu Formale, illud mutari, generari, corrumpique per quoſdam gradus, ſecundum quos rerum ipſarum definitio varianda eſt.

ATque de duobus principiis Ariſtotelicis, deque Formarum Natura in genere vidimus hactenus. Veniamus ad Naturam & Originem Animæ, cujus gratiâ tota hæc inſtituta eſt diſſertatio. Hujus cùm tres ſint gradus, Vegetativus, Senſitivus, Rationalis, priores duos primo, ultimum ultimo in loco contemplemur. Vtrumque commodè fiet ſi brevibus aphoriſmis hypotypoſin quandam conſtitutionis rerum naturalium ſecundum ante diſputata tradiderimus, ne aliena tantùm deſtruere voluiſſe videamur, contradicendi ſtudio abrepti. Eſt autem hujuſmodi,

1. Principia rerum tria ſunt, Conſtitutionis duo, Materia ſive Subjectum, & Accidentia, Tranſmutationis unum, Accidentium Contrarietas.
2. Materia eſt totum & omne illud, quod in corporibus naturalibus eſt Subſtantiale.
3. Materia eſt indifferens ad omnia & capax omnium accidentium: ſed tamen non eſt ſimpliciter fons & radix eorum omnium.
4. Origo accidentium eſt quæ ipſius Subjecti, immediata ſcilicet Creatio vel Concreatio.
5. Accidentia Materiæ ſunt duũm generum,
   ſ 1. Alia conſequuntur illius eſſentiam immediatè, & eidem coexiſtunt

ex

ex interna naturæ necessitate, ut Potentia Passiva, Extensio & Quantitas, Locus, Tempus, sive duratio successiva. Atque Materia horum accidentium fons & radix dici potest, quia proximè in illius essentia radicantur.

2. Alia constituunt illius existentiam in certa aliqua specie ut omnes Qualitates primæ & secundæ: quæ in materia non inerant primùm ex necessitate naturæ, sed ex arbitrio Creantis: poterat materia sine illis esse, sed inducebantur ad distinctionem illius in varias species.

6. Vtrumque genus accidentis Materiæ imprimitur immediatè, veluti lux aeri, nec opus est Substantia aliquâ intermediâ, qua interprete accidens subjectæ Materiæ societur.

7. Vt Qualitates inhærentimmediatè in Materia, ita à qualitatibus immediatè profluunt operationes & operandi vires.

8. Qualitates omnes primæ primo die creationis extiterunt, & è secundis non nullæ. Lux, calor, frigus, humiditas, siccitas, item è secundis, tenuitas, crassities, gravitas, levitas, fluor & consistentia.

9 Cæli Materia & Substantia, communis est cum eâ omnium corporum inferiorum, & Accidentia primi generis communia possidet: sed in Accidentibus secundi generis differentia est inter Cœlum & Sublunaria, viz. in discrepanti Copula Primarum & Secundarum Qualitatum, Lucis, Caloris, Levitatis, & Tenuitatis. At de Cœlo nihil ferè certi adhuc nôrunt Philosophi.

10. Elementa sunt tria, Aer, Aqua, Terra, nec pluribus opus est ad mixtionem corporum: immo duobus fortè res ista peragitur, Aquâ, Terrâ.

11. Hæc Elementa essentialiter inter se distinguuntur propriis & peculiaribus Qualitatum syzygiis à creatore immediatè materiæ inditis: in Terra copulantur, Frigiditas, Siccitas, Densitas, Gravitas, & Consistentia: in Aqua uniuntur, Frigiditas, Humor, Densitas remissior cum Gravitate & Fluore: in Aere denique vinciuntur Caliditas remissa, Humor debilis, Levitas, Tenuitas, & Fluor summus.

12. Ignis nihil est nisi Calor intensior, sive in aliquo Elementorum sive in corpore quolibet mixto insit.

13. Calor in Aere & in omnibus mixtis (in quibus calore opus est) est partim implantatus in primæva creatione, partim infusus à Sole, solo, si quod sit, Elemento Ignis, & unico caloris fonte in inferioribus. Implantatus sine infuso cito marcescoeret.

14. Compositio rerum est duplex,

- Prima ex Materia nuda, & Qualitatibus primis secundisq; simplicioribus, ut in Cœlo & Elementis.
- Secunda ex Materia sic qualificata, & novis Qualitatum mixturis è prioribus oriundis: ut in omnibus corporibus mixtis.

15. Qualitatum in Elementis illa est Copula, quæ esse potest simplicissima. Quare in eam semper fit Resolutio. At, qualitatum in mixtis, mixtæ sunt Copulæ ex simplicibus. Quemadmodum de coloribus vulgò aiunt, Albedinem & Nigredinem fieri ex mixtura varia perspicui cum Opaco: medios autem colores oriri ex mixtura Albedinis & Nigredinis.

16. Mensura moduſque omnium Temperamentorum & Simplicium & Mixtorum datus & fixus est in prima creatione: à quibus primitiuis exemplaribus si natura erret excessu defectuve, monstrum & deforme quid fit.

17. Generare sibi simile, non viventis solvis, sed generaliter omnium Qualitatum Activarum proprium est, sive simplices illæ & solitariæ sint, sive populatæ in certa Combinatione.

18. Qualitates hæ ita sui diffusivæ & similium generativæ sunt, ut necessariò Materiam sibi proportionatam efficiant, quo liberum habeant suarum virium exercitium.

19. Itaque Vis plastica seu Formatrix immediatè & primò in ipsis qualitatibus fun-

fundatur, quæ quò ſimpliciores ſunt, eò ſimpliciorem, & magis uniformem materiæ configurationem poſtulant; quò autem pluribus diverſarum Qualitatum mixturis complicatæ & compoſitæ ſunt, eò magis variam & diffor-mem partium materialium effigiationem requirunt, & producunt.

20. Mixtio quò longius deſcendit à ſimplicitate, eò exquiſitior & ſubtilior eſt, quia magni eſt Artificii tot qualitatum & combinationum difformitates in unam κρᾶσιν vincire: atqui, tanto infirmior eſt mixtura, quanto magis compoſita, eſt, quia pluribus conſtat qualitatum contrarietatibus. Hoc in metallis, plantis, animalibuſque invicem comparatis cernitur.

21 In viventibus eſt Reciproca temperamenti propagatio, ex Semine Viventis, ex Vivente Seminis.

22. Vis prolifica & vivifica in Semine non eſt ab aliqua ſubſtantia immaterialis & ſpirituali Semini adhærenti aut inhærenti, ſed à ſolarum qualitatum ingenioſa & ſubtili temperatura in materia pura & ſpirituoſiore.

23. Hæc vis actu ineſt in Semine, ſed tamen Sopita eſt, nec actu agit niſi admoto Patiente aut potius Coagente, in, & à quo Virtus iſta excitetur. Perinde ut Piper calidum eſt ex ſe, urit tamen ſalivâ admixtum. Atque Copioſi & Fortes Spiritus, qui in Hordeo, Tritico aut quovis alio grano ſemineve latent, facile extrahuntur arte ſtillatoriâ ſi aquam pauculam admiſceas ignemque admoveas.

24. In Plantis, Terra Seminibus foturam veluti in Matrice præbet, tam calorem à ſole acceptum, tum humorem aptum ſuppeditando: quibus calidi humidique ſeminum Spiritus acuuntur, & inflati turgent, materiamque extendentes partibus & proportionibus idoneis, virtute ſua effigurant.

25. In animalibus Oviparis etſi opus ſit Mare & Fæmina ad generationem Ovorum fœcundorum (nam ſubventanea fiunt à ſola fœmina) tamen ad generationem Pulli ſufficit quivis calor ſive animantis cujuſquam, ſive inanimati ut Pulveris fimi, ſolis, fornacis. Quia enim in vitello, Humoris ſatis eſt ad nutrimentum, opus tantùm erit calore externo ad excitandas Spirituum & Caloris vires generativas in albumine.

26 In Viviparis utroque opus eſt Sexu ad efficiendam unam Seminis maſſam generationi idoneam. Et mas & fœmina activè concurrunt, ille magis, hæc minus. Copulatis & exquiſitè mixtis utriuſq; ſeminibus, Spirituoſiſſima totius maſſæ Subſtantia aucta & inflata per Calorem Vteri & humorem menſtrui variè ſe commovet, dilatando, condenſando, effingendo reliquam materiam ignaviorem, pro qualitatum & operationum neceſſitate.

27. Ad Generationem Viventis, abſolutè & ſimpliciter Semine opus non eſt. Sed ſufficit Qualitatum Vivificarum mixtura & concurſus etiam in alia materia: ut patet in plantarum propagationem, in earum & Animalium quoque ex putridâ materiâ, genitura.

28. Summatim, Animæ Vegetativæ in Plantis, & Senſitivæ in Brutis, ſive Generales illæ quibus Plantæ & Animalia ſunt, ſive Speciales per quas in certas ſpecies diſtinguuntur, ſunt tantùm Temperamenta nobiliora Qualitatum actuoſiorum in materia ſubtili, pura & ſpirituoſa, ſive illa Semine propagata fuerint, ſive alio modo conflata.

Ad confirmationem hujus ſententiæ aliis rationibus adductis opus non eſt, quàm quibus Formarum Subſtantialitas ſupra refutata eſt: quæ niſi infirmatæ fuerint, nec hæc poterit. Potius hoc in loco occurrendum erit eis argumentis quæ animæ, maximè Senſitivæ ſubſtantialitatem confirmare videntur: cujuſmodi ſunt hæc.

1um. Si anima ſit temperamentum, tum omne corpus erit Animatum: quia in omni corpore eſt temperamentum.

Leviſſimum argumentum: cui hoc reſponſum ſufficiat, procedit ex meris affirmativis in ſecunda figura, itaque eſt ſœdus paralogiſmus.

2um. Temperamentum mutatur pro ætate, loco, victuſque ratione. Anima non mutatur. Ergo non eſt Temperamentum.

Hoc

Hoc argumentum ex parte ſupra attigimus, & de minore in genere oſtendimus formas per gradus mutari & variari poſſe. Sed hic amplius duplex notandus eſt error hujus argumenti. Prior eſt, quòd non diſtinguitur inter Totalem ſive Eſſentialem, atque Partialem ſive Gradualem temperamenti mutationem. In totali non tamen mutatio aliqua ſed corruptio Animæ accidit. Quare nihil eſt ad rem. In partiali, ſecundum ipſorum principia, magis & minus non variant ſpeciem. Eſto Exemplum in temperamento plantæ tenellæ & adultæ in nativo, & alieno ſolo conſitæ. Hic temperamentum non mutatur in aliud aliquod diverſæ ſpeciei, ſed variatio eſt in gradibus perfectionis eadem ſpecie manente: & hoc non obſtante conſtat formæ unitas, etſi non ſimilis operationum vigor. Alter error eſt, quod ab homine ad alia viventia incommodus eſt, ut hìc fit, trajectus: nempe in homine variato diverſimodè corporis temperamento, forma prorſus eſt invariabilis, quia alia eſt hominum & aliorum viventiũ anima: non ſic in cæteris, ubi anima cum tẽperamento coincidit. Veriſimilius argutârunt a diverſitate temperamentorũ in hominibus individuis ad diverſitatẽ animarum. Sed hìc parum proficitur, ſiquidẽ temperamenta particulariũ hominum non ſpecie, ſed gradu tantùm differunt.

Hùc refer objectiunculas, Si Anima in tẽperamẽto & ſpiritibus cõſiſtat, ergo vacuato per Syncopen ſpiritu Anima interibit: Et ergo, Anima nutrietur quia ſpiritus nutriuntur: quibus hoc tantũ regerimus, Præſtare opiniones experientiâ corrigere, quàm adverſus eamineptis diſtinctio. defendere. Neutra tamẽ objectionũ ab homine præcipuè ducta, in homine locũ habet.

3um. Si anima ſit temperamentũ, tot erunt in planta aut animali, animæ quot diverſa conſpiciuntur temperamenta: alia oſſis, alia carnis, alia nervi, alia corticis, alia ligni anima erit. Sed in vivente eſt unica tantum anima: Ergo anima non eſt temperamentum.

Minor propoſitio falſa eſt etiam ſecundum doctrinam ipſorum Peripateticorum docentium, duas ad minimum in planta, & tres in omni animali animas eſſentialiter diſtinctas reperiri, formas verò inanimatas, ſive (ut vocant) mixti etiam multo plures. Quare ſecundum ipſos pluralitas formarum & animarum ſubſtantialiũ in uno compoſito, nihil abſurdi continebit: quoad noſtram verò ſententiam multo minus, qui pluralitatem Subſtantiarum in mixto non agnoſcimus, ſed ſub identitate materiæ, diverſitatem temperamentorum ſic ponimus, ut omnia interim Vivifica eſſe fateamur.

4um. Si anima eſſet temperamentum qualitatum in humoribus & ſpiritibus, tum non poſſet frænum inicere corporis perturbationibus ejuſq; impetum cohibere, ſed eum ſemper ſequeretur: Atqui ipſa experientia docet animam eſſe corporis moderatricem. Ergo &c.

Hoc argumentum nihil aliud evincit, quàm in homine quidem dari ſubſtantiam aliquam à corpore diſtinctam, quæ facultates inferiores Vegetativas & Senſitivas pro arbitrio ſuo regat & aliquo modo coerceat aut promoveat. At in plantis & Brutis ubi ſimile imperium planè non cernitur, illa ſubſtantiarum diverſitate opus non eſt. In his enim anima non ſolum ſequitur, ſed eſt ipſum temperamentum: in homine ſequitur quidem ejus propenſiones, ſed curſum moderatur, quando vult.

5um. A quo ſunt nobiliſſimæ illæ operationes Percipiendi ſive Iudicandi de rebus ſenſibilibus, Imaginandi & Memorandi; illud accidens eſſe non poteſt. At ab anima brutorũ ſunt iſtæ operat. Ergo ſubſtantia eſt &nõ accidens.

Pro ſolutione hujus Argumenti, notandum eſt breviter, Omnes iſtas operationes eſſe merè organicas atque in materiali aliquo ſubjecto fieri, & ab eodem dependere: & propterea nullibi eſſe nec eſſe poſſe, niſi ubi Organum iſtud reperiatur. Organum verò illarum eſt Spiritus animalis, pura illa, clara, lucida & agilis ſubſtantia hujus copia maxima & puriſſima eſt in capite in hoc igitur & ſedes ſenſationis omnis. At quæritur de Principio, Dico ſpiritum iſtum animalem eſſe non tantum

tum Organum, ſed primum Principium omnis ſenſationis. Nempe in Spiritibus duo ſunt, Materia, & Qualitatum vivaciſſimarum Mixtura: in Qualitatibus eſt prima cauſa & origo, in materia eſt primum ſubjectum & organum ſentiendi, in utriſque conjunctis conſiſtunt omnes apprehenſionis phantaſiæ & memoriæ vires quas in brutis cernimus. Dabitur hoc quidem, Spiritus hoſce eſſe immediatum inſtrumentum omnis ſenſationis, ſiquidem in Spiritibus ſolis ſpecies rerum ſenſibilium imprimuntur & inhærent, per Spiritus huc illuc deferuntur, & vel minima Spirituum turbatio impedit, maxima corrumpit omnem ſenſationem: at verò nullam eſſe aliam ſubſtantiam in brutis, quæ his Spiritibus utatur ut inſtrumentis ſentiendi, ipſa vero ſit prima ſentiendi cauſa, hoc non dabunt. Sed neceſſario dandum eſt: illa enim alia ſubſtantia quam animam vocant, erit vel materialis vel immaterialis. Si materialis: erit vel purior, vel impurior Spiritibus. Non prius, quia ſpiritibus nihil purius in genere materialium; nec poſterius verum eſt, quia abſurdum eſt aſcribere principium ſentiendi impuriori materiæ, & negare puriori. Si immaterialis ſit, recurrunt omnia dubia in ſuperioribus allegata.

Si inſtes, Eſſe ſupra naturam puriſſimæ materiæ vel exquiſitiſſimis qualitatibus ornatæ, Iudicare, Meminiſſe, Appetere, Fugere, &c. dico quod non: neque id nobis magis mirum videri debet in perfectioribus animaliũ tẽperamentis quàm multa nõ minus admiranda effecta in ipſis inanimatis, quæ ab ipſorum temperamento procul dubio dependent, etſi ſit impefectius. Illud præterea Ariſtotelis axioma, Nullum ſimile percipitur à ſimili, neque hic locum habet, cum talis ſit Spirituum & puritas quoad materiam, & temperies quoad qualitates, ut in omnibus ſenſibilibus quæ bruta poſſunt percipere, nihil ſimile reperiatur: neque ubique veritatem obtinet, ſiquidem nec oculus oculum, nec anima animam, nec intelligentia intelligentiam hoc pacto perciperet. Et de Vegetativa & Senſitiva animis hactenus.

De Animæ rationalis Eſſentiâ non ambigitur. Quod ſit ſpiritus & quidem immortalis nemo niſi Atheus aut Sadduceus dubitat. Illud ſolum in dubium vocatur, Vnde hæc ſubſtantia ſpiritualis originem ſuam ducat. Non erit operæ pretium retuliſſe & refelliſſe varias hâc de re opiniones: alii animas ab æterno aut diu ante corpora extitiſſe putârunt, atque in beatis ſedibus aut ſtellis ſedes habuiſſe, inde in corpora velut carcerem eſſe detruſas, falſo nixi fundamento, Quod omne incorruptibile ſit ingenitum & ἀνάρχον: alii, ab Angelis creatas, per impiam communicationem divinarum proprietatum: alii ex anima Mundi, aut Subſtantia Cœleſti prognatas: alii ex Elementis conflatas; alii ex Dei ipſius Subſtantia genitas; alii à Cœli non ut materialis cauſæ, ſed ut efficientis externi virtute produci autumant. Sed his ſententiis exploſis, cardo controverſiæ in hoc vertitur. Vtrum à Parentibus per Traducem, an à Deo per Creationem anima rationalis propagetur. Quæſtionis partem ſecundam veram judicamus, eamque ſuſcipimus pro virili defendendam: quod faciemus & argumentorum καλασκδῆ, & ἀνασκδῆ objectionum quæ contra poſſunt afferri.

Argumentorum claſſis eſt duplex, 1. à Ratione, 2. ab Authoritate. Illam primo inſtruamus.

Si anima ſit a Parentibus, erit vel percreationem vel per naturalem Propagationem. Illo modo non eſt omnibus fatentibus. Si ergo per propagationem anima derivetur, fiet

illa vel { Per Multiplicationem & Diviſionem ſubſtantiæ ipſius animæ. / Per Generationem à Semine aliquo.

Si cui placeat prior ſententia, pervelim mihi ſolvat hæc quæ ſequuntur dubia, 1. Cur anima rationalis magis ſit partibilis quàm Angeli, quandoquidem omnium & Phyſicorum communis ſit hactenus ſententia, omnem Spiritum eſſe ἀμέριστον, nec generari, neque generare ſibi ſimilem per multiplicationem ſuæ eſſentiæ, aut alio modo.

2. An

2. An Actio ista multiplicationis sit Naturalis vel Voluntaria: si naturalis, quî fit ut anima rationalis intellectu & voluntate prædita se ipsam multiplicet nec volens nec sciens. Si voluntaria, an igitur Sterilitatis causâ non poterit ista esse in voluntate, quod anima non vult seipsam transfundere, Et, Quomodo in Adulteris sequatur Fœtificato, cum eam maximè nollent.

3. Cur, si animæ substantia cum Semine decidatur, non etiam abscisso capite aut alio membro dividi poterit.

4. Si in & cum Semine multiplicetur anima, an Semen dici poterit Animatum anima rationali. Si ita; annon & sanguis quoque?

5. Si cum semine propagetur anima rationalis, utrum omnis seminis effluxus etiam ante septimum diem non poterit verè dici abortio. Contra Medicos, atque omnes Physiologos; siquidem anima rationalis ab ipso coitus momento & non ut illi, quadragesimo die infunditur.

6. Vtrum abortionum istarum aliqua sit futura resurrectio.

7. Vtrum semper, an verò aliquando tantùm fiat hæc multiplicatio. Si semper, annon anima rationalis erit mortalis, quia non semper effuso semine, sequitur prolificatio. Si tantum interdum, unde illud norunt, & unde est ista ad stata tempora restrictio.

8. Vtrum à Patre aut à Matre solâ anima decidatur, an ab utrisque; si ab uno solum Parente oriatur, cur ita; cum utriusque anima æquè sit divisibilis. Si ab utroque; an inde sexus ratio reddi poterit, quod alter de sua anima plus contuletit.

9. Deinde, si est ab utroque Parente, quomodo fiat Vnio duarum animarum masculæ & fœmineæ in unam substantiam.

10. An anima in Parentibus πολυτόκοις non imminuatur, tot sui partibus substantialibus abscissis.

11. An hinc reddenda sit ratio transfusionis Peccati, quòd Anima parentum quæ in se tota & in qualibet sui parte Peccati rea est, Particulas sui peccato inquinatas liberas impertiat. Si ita, Annon liberi merito puniri possint pro actualibus parentum peccatis, cum animæ liberorum ante divisionem ab animis parentum: illa ipsa peccata actu commiserint.

Sed posterior fortè sententia magis arridet, Esse scilicet, per Generationem à Semine. Age, discutiamus breviter. Si Anima oriatur ex Semine aliquo, erit illud

Semen vel { ψυχικὸν, & ab ipsâ anima divisum. / σωματικὸν à corpore effusum.

Non defuerunt qui etiam animabus semen prolificum ascripserunt, quo mediante sese propagarent, Sed otiosæ subtiles sunt isti. Quæro enim, illud Semen sitne corruptibile, vel incorruptibile. Si corruptibile, quomodo ex φθαρτῶ fiat ἀφθαρτον, aut ex anima incorruptibili orietur semen corruptibile. Si incorruptibile, repugnat experientia, Quando effuso semine nulla succedit soboles.

Esto igitur origo Animæ rationalis ex semine illo materiali quod à corpore excernitur. Sed nec hoc esse potest ut ex materia seminis fiat substantia animæ rationalis, quantamcunque demum in semine materiæ puritatem somniemus. Probabiliter evincit etiam illud, quòd ut anima est in operando inorganica & ἀοργάνος, ita neque in Essentiæ productione dependet à re aliqua materiali & corporea. At verò hoc necessariò stringit, Immortale ex Mortali, Spirituale ex Materiali, Simplicissimum è mixto & composito, nullis naturæ viribus fieri & produci posse. Ista planè sunt ἀσυστατα, sine interventu divinæ vis, non tantum sustentantis Naturam ut faciat, ut ineptè nonnulli cavillantur, sed sua virtute immediatè efficientis quicquid hac in re fieri potest. Quem concursum, si concedant, dant quod quærimus. Sunt & alia argumenta quæ dissentiendi moram inliciant, ab instantiis.

1ª. In Adamo & Eva, quorum animæ non ex materia aliqua efformatæ sunt,

sed

ſed per creationem immediatam extiterunt. In his verò Deus ſpecimen edidit, quid in aliis hominibus perpetuò facturus erat. Si dicatur nihil probari hoc exemplo, ſiquidem in primis parentibus Neceſſaria omnino fuit Creatio, cum nihil præexiſteret per quod propagatio naturaliter fieri poſſet, & verò Deum indidiſſe illis hanc virtutem ut animas ab ipſo primùm acceptas propagarent ad poſteros: fatendum quidem eſt hoc argumentum neceſſariam probandi vim per ſe non habere; ſed tamen advertendum eſt.

1. Adami animam materiæ antè præparatæ extrinſecus infundi, cæterorum autem animalium animas in & cum materia concreatas fuiſſe. Cujus ordinis alia idonea ratio non eſt, quàm ut Deus oſtenderet, in hominibus aliam corporis, aliam eſſe animæ originem, at in brutis eundem eſſe utriuſque ortum.

2. Vniverſi pulchritudinem & ſymmetriam poſtulare, ut cùm inferiores creaturæ primæva & ordinaria virtute ſeſe multiplicent, omnium creaturarum Dominus non ſine ſpeciali ſupremi Domini auxilio & generetur, & genitus regatur.

3. Etſi Adami anima ex nihilo, potuit tamen Evæ anima ex particula animæ mariti propagari. Quod tamen haud videtur veriſimile, ut innuit Adami experrecti vox. Hæc eſt caro de carne, os de oſſibus meis, non Anima de Anima. Verum hæc aſſenſum non cogunt.

2a. In Chriſto, cujus Anima per creationem à Deo data eſt, non per generationem à Parente. Is autem nobis per omnia factus eſt ſimilis, & ſimiliter, ſi ea excipias in quibus peccati labes, aut alterius alicujus graviſſimi incommodi periculum erat. Si dicatur, hoc extraordinariè factum eſſe ad vitandam peccati luem, aio,

1. Non afferri idoneam hujus rei rationem. Potuit enim Chriſtus ut Corpus ſic Animam (ſi quid tale in generatione hominis accideret) a Virgine ſumere ſine peccati periculo. Vt enim falſum eſt, quod nonnulli aſſerunt, Chriſtum ſine auxilio maris genitum eſſe, ne interveniret peccatum, ita & hìc quoque falſum eſt, eum corpus ſolum à Virgine accepiſſe non animam, ne ſcil. fieret peccatrix. Siquidem non magis difficile erat Spiritui Sancto particulam Virginalis animæ quàm ſanguines ejuſdem ab omni impuritate mundare; & æquè facile Ioſephi quàm Virginis ſemen ab omni vitio purgare, ni, ſi id factum eſſet, Chriſtus ψιλὸς ἄνθρωπος nec præterea quicquam exiſtimatus fuiſſet.

2. Concedi ex hâc ſuppoſitione, Hominem rectè dici generare hominem, etſi unam tantum illius partem proprie generet, viz. Corpus: ſiquidem Chriſtus, cujus anima forinſecus indita eſt, fuit tamen verè filius Mariæ.

Quod ſi dicant Animam Chriſti non creatam eſſe, ſed à Matre ortam, præter quam quod hoc communi omnium ſententiæ repugnat, aliis etiam urgetur difficultatibus: Quæritur enim an Anima ſemini unita fuerit à primo conceptionis momento, an poſt diem quadrageſimum. Si illud, utrùm & in aliis ſimile fiat: Et, an corpus Chriſti fuerit formatum & organizatum in momento ut * nonnulli aſſerunt. Si hoc, an caro hypoſtaticè unita fuerit λόγῳ à primo purificationis momento, an tum demùm poſt diem quadrageſimum infuſâ animâ.

* *Conimb. l. 2. de anim. cap. 1. qu. 4. art. 21.*

Sequuntur Argumenta ab Authoritate, eaq; divinâ in ſacris literis, quæ nobis loca aliqua ſuppeditat ad hanc veritatem. Hujuſmodi ſunt.

1. *Eccleſ.* 12. 7. Redeunte pulvere in terram, quemadmodum fuerat, Spiritu autem redeunte ad Deum qui dederat illum.] Clara eſt & manifeſta antitheſis inter duarum hominis partium eſſentialium diverſum ortum & interitum. Corporis ex pulvere origo, in pulverem reſolutio. Animæ à Deo opifice Creatio, ad Deum judicem Reverſio. Corporis Cauſa materialis ponitur ex qua fit, in quam reſolvitur [quemadmodum fuerat] Animæ vero Cauſa ſolummodo efficiens per quam ex nihilo fit; [qui dederat eam] atque hoc emphaticè, nam corpus quoque dederat. Cavillus iſte, quod hoc

loci

loci de primis ſolum parentibus ſermo ſit, refutatione eſt indignus.

2. *Heb.* 12. 9. Deinde patres quidem carnis noſtræ caſtigatores habuimus, & reveriti ſumus: annon multò magis ſubiiciemur patri Spirituum & vivemus.] Nihil apertius & τραχηλιώτερον iſta antitheſi, Carnem corpuſque, aparentibus, Animas à Deo accipimus, quòd ſi vilioris partis authores & qui in nos minus juris habent, patienter caſtigantes ferimus, quanto æquiore animo feremus eum, qui ſupremum in nos jus obtinet, utpote partis, quæ in nobis eſt præſtantiſſima, unicus dator conditorque. Enervant planè vim hujus argumenti, qui Hebræiſmum hic cogitant, & per Patres carnis, carnales, per patrem ſpirituum, ſpiritualem intelligi volunt. Siquidem arguitur non ex abſoluta, ſed relativa patris natura, nec hìc quæritur quid Parentes noſtri ſunt in ſua natura, aut quid Deus in ſua eſſentia, ſed qualem illi erga liberos, hic in Creaturas reſpectū teneant, quam habeant in utriſq; operationē, ut ipſe contextus diſertè loquitur. Præterea illud Dei attributum Pater ſpirituū, hoc in loco prorſus idem eſt quod alibi ſæpè reperitur, ubi interpretatione tali molliri non poteſt: ut *Num.* 16. 22. [Deus fortis, Deus ſpirituum omnis carnis, hic unus vir peccaverit & contra totam hunc cætum efferveſces?] & *Num.* 27. 16. [Præficiat Iehova, Deus Spirituum omnis carnis virum huic cætui] Peculiare ſcil. in animas imperium Deo attribuitur, qui ſolus animas creat, ſolus cognoſcit. Et quidem ſupplementum illud à nonnullis interpoſitum [Deus Spirituum, [Deus] omnis carnis] meritò reiicitur ut frigidius, & emphaſim minuens, & in alienum ſenſum trahens.

3. *Zach.* 12. 1. —dictum Iehovæ qui extendit Cœlos & fundat Terram, formatque Spiritum hominis in eo] teſtimonium ſatis clarum quo docemur, paripaſſu ambulare hæc tria, Expanſionem Cœli, Fundationem terræ, & Formationem animæ rationalis: neque hoc minus quàm iſta, infinitam potentiam requirere. Huic loco geminus eſt ille *Pſal.* 33. 15. [Formator pariter cordis eorum animadvertit ad omnia opera eorum] recte, animadvertit animæ ſeu cordis conſilia, quia animam ipſam fabricat.

4. *Ieſai*, 57. 16. Nam in Seculum non contendam, neque in æternum efferveſcam: nam ſpiritus à conſpectu meo obruetur & animæ [נשמות] quas ego feci. Latet in his verbis [Quas ego feci] emphaſis aliqua, quæ ſi ſpecialem animarum rationalium à Deo productionem non innuat, quid aliud oſtendat, velim doceant.

5. Solet à nonnullis adduci locus iſte *Ezek.* 37. 5. ubi de oſſibus arentibus Iehova ſic loquitur, Ecce ego inducturus ſum in vos Spiritum, ut vivatis. Sed nihil probat iſte vel Reſurrectionis, vel Populi Iſraelitici Reſtaurationis typus. Plus fortaſſis roboris eſt in iſto loco, *Exod.* 21. 22. de percuſſore Mulieris gravidæ. [Item certantibus hominibus ſupercuſſerit unus eorum mulierem gravidam, ita ut eiiciatur fœtus ejus [ילדיה] nec tamen ſit exitium: omnino mulctator prout ei impoſuerit maritus ipſe mulieris & per judices dato. Sin exitium ſit, tum reddes vitam pro vita.] Hinc à quibuſdam colligitur, Si fœtus gravidæ percuſſæ informatus, ſuiſque membris nondum diſtinctus exeat, percuſſorem non teneri homicidii, ſed propter diſcrimen & dolorem prægnanti illatum, mulcta pecuniaria puniendum pro arbitrio mariti coram judicibus: Si autem planè formatus fuerit, morte plectendum homicidam Huic collectioni originem præbuit falſa Lxx. verſio, qui אסון, non ἄτη aut βλάβη exitium, verterunt, ſed ἐξεικονισμένον: ἐὰν δὲ ἐξελθὸν τὸ παιδίον αὐτῆς μὴ ἐξεικονισμένον &c. accipientes vocem אסון pro אסום vel אסים sive אסימן ἄσημον non ſignatum, non effigiatum. Atque ſecundum hanc interpretationem definiunt Doctores Iuris Pontificii, Non eſſe Homicidam qui obortum procurat, antequam anima corpori ſit infuſa; ut videre eſt. Cauſ. 32. Quæſt. 2. Capitibus quod verò. Moyſes tradidit, & ſicut Semina. Vbi & nonnullis argumentis contenditur, animam rationalem ante perfectam corporis organizationem in illud non infundi. Quæ etſi fortaſſis verè dicantur, tamen hinc fundamentum habere non videntur. Perſpicua enim eſt legis ſententia,

Si percuſſionem gravidæ damnum non ſequatur, *i. e.* nec fœminæ nec fœtus mors; mulctator tamen ob vim injuſtè illatam. Sin exitium vel hujus vel illius eveniat, capitali ſupplicio adficitor. Vbi, ſi cum lex non diſtinguit, nobis non ſit diſtinguendum, duriuſculum erit, vel illud de exitio ad ſolam gravidam referre, ac ſi percuſſor, cùm, ſalvâ prægnante, fœtus ſolummodo periſſet capitalis non eſſet: aut illud de fœtu, ad formatum ſolum poſt 40. diem reſtringere, ac ſi percuſſor, fœtu ante 40 diem per vim ejecto, nihil niſi mulctam ſolvere teneretur. Textus nec tempus nec perſonas hic diſtinguit. Ius Civile paulo quàm Canonicum gravius hac de re cenſet. Digeſt. l. 48. Tit. 19. de Pœnis §. Si quis aliquid. [Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etſi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res eſt, humiliores in metallum, honeſtiores in inſulam, amiſſa parte bonorum relegantur. Quod ſi eo homo aut mulier perierit, ſummo & capitali ſupplicio afficiuntur.] Rurſus ibid §. Cicero. Habemus [Mileſiam mulierem, quod ab Hæredibus ſecundis, acceptâ pecuniâ, partum ſibi medicamentis ipſa abegiſſet, reî capitalis eſſe damnatam. Ciceronis ſententia.] Mox tamen lenius [Sed & ſi qua viſceribus ſuis poſt divortium, quod prægnans fuit, vim intulerit, ne jam inimico marito filium procrearet: ut temporali exilio coerceatur ab optimis imperatoribus noſtris reſcriptum eſt.] Dubiam & incertam vides harum legum ſententiam. Theologi ſanè non pauci conceptionis corruptionem quoviſmodo violentam accenſent inter peccata ſextum Præceptum violantia. Sed & hi aiunt magis quam probant, & non tam ad Embryones iſtos rudes & imperfectos quàm ad fœtus perfectè animatos & organizatos videntur reſpicere.

Orat. pro Cluent.

Quid hac de re jus noſtrum municipale?

Res eſt non levis difficultatis, in qua, dum audiatur Doctorum judicium, ἀπέχω.

Πάντῃ δόξα Θεῷ.